DE ARTHRITIDE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTE MAGNIFICO DOMINO

PRAESIDE ET DIRECTORE,

SPECTABILI

DOMINO DECANO

NEC NON

CLARISSIMIS D. PROFESSORIBUS

PRO

GRADU MEDICINAE DOCTORIS

RITE CONSEQUENDO

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE PESTHIENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

AMADEUS FLESCH,

HUNGARUS.

Theses adnexae publice defendentur in palatio Universitatis die 1843.

BUDAE,

typis Joannis Gyurián et Martini Bagó.

Seinem hochgeschätzten

theuersten Vater,

seinem

vielgeliebten Schwager

Wolf Steinbach,

widmet

diese Blätter als Zeichen der zärtlichsten und innigsten Liebe

der Verfasser.

Definitio morbi.

Arthritis nomen graecum ab (αηδηον) artus, est ille morbus, qui post praegressas perturbationes functionum organorum degestionis et chylificationis evolvitur cum febre, cui inflammationes articulorum specificae (arthriticae) junguntur; se — excretionesque bilis, urinae et perspirabilis in cute abnormes redditae, totum vegetationis processum ita mutant, alienantque, ut materia ossi analoga deponatur in varias partes solidomolles, unde tophi, vel nodi arthritici emergunt.

Morbus hic hominem raro ante trigesimum quintum aetatis annum invadit, nihilominus annis iam praecedentibus peculiares specifico charactere donatae morborum formae (molimina ad arthritidem) comparent, nomine arthritidis difficultatae, dysarthritidis ab auctoribus insignitae. Generaliter autem distinguimus:

a) Prodroma, molimina ad arthritidem.

b) Arthritidem maturam, evolutam, regularem, acutam.

c) Diversas formarum comparitiones arthritidis irregularis, annomalae, chronicae.

Prodroma, molimina ad arthritidem.

Haec nonnunquam pluribus ante morbi perfecti evolutionem mensibus forma rheumatismi, aut variarum organorum digerentium affectionum: cardialgiae, dyspepsiae, pyrosis, vomituritionum, vomitus comparent, ita ut facile saburram in ventriculo ortam mentiantur. Aut symptomata prodroma forma hypochondriae gravis incedunt, ita ut cephalalgia, frequens vertigo, sensuum externorum languor, animi moro-

sitas, cutis sicca sensilis raro absint; haec certe maxime probabilis causa, cur auctores plures arthritidem morbis atrabiliariis adnumeraverint.

Symptomata enumerata minime semper arthritidem evolvendam characterisant, subinde etiam aliorum morborum latitantium fomes succenditur, atque Hypochondriasis, melancholiae, cholo — aut urolithiasis, prima rudimenta cum arthritide communia habentis, evolutioni ulteriori ansa datur.

Arthritis regularis, vera, acuta.

Et regularis arthritis raro subito exoritur, sed prodromis propriis characteristicis anunciatur. De regula haec versus finem hyemis comparet. Praecedunt hanc breviori aut longiori tempore dyspepsiae variae, dolores vagi in diversis corporis partibus, siccitas cutis, vomitus, diarrhoea, vertigo, stupor sensuum, cordis palpitatio. Memorabile hoc respectu phoenomenon observamus, quod insultus arthriticus tunc comparere soleat, dum aeger sanitate relative optima fruitur, majorem animi et corporis energiam et activitatem experitur, meliorem cibi adpetentiam persentit, et adnotante Swieten stimulus veneris exaltatur. Postquam vesperi somno paucarum horarum indulsisset, circa mesonoctium subito expergefit dolore intenso halucem calcaneum, articulationem inter crus et metatarsum, nonnunquam antibrachium, manum, genua occupante. Aegri hunc dolorem varia ratione depingunt, alii eum pro tensione ossis tenent, aut eum analogum sensationi ambustionem comitanti describunt, aut dilaniationi ab animalis dentibus provocatae; nonnunquam dolor sensibus illudit, ac si aqua frigida super partem affectam effunderetur. Ferme immediate post doloris comparitionem frigus validum cum tremore artuum breviori aut longiori tempore durante, mox remittente comparet, quod excipit calor exaltatus, pulsus acceleratur, cutis rigida ardens evadit, inquietudo, cephalea, sitis, cordis palpitatio aegrum divexant. Symptomata haec noctem et insequentem diem excurrunt. Dolor intensitate et extensione increscens, vesperi adeo exacerbatur ut laevissimum respuat tegmentum,

versus horas matutinas ita mitigatur, ut ingruente diluculo ferme penitus sileat, insequente vespere aeger cum cute madida pacatius obdormit, noctu sudore universali perfunditur, e somno vigil dolor tolerabilior est, sed articulus affectus rubét, tumet, calet, splendetque, refert inflammationem erysipelaceam in exordio tantum tempore insultus conspicuam, sub ulteriori morbi decursu continuam. Insequentibus diebus dolor versus vesperam intensior fit, cutis calor augetur, pulsus acceleratur. Quotidie vero exacerbationes intensitate et extensione minuuntur, ita ut post 4—5 dies penitus sileant, et sic primus paroxismus terminatur, tantum partis affectae articuli dolor, rubor, calor, tumor, pruritus molestus somnum fugans per duas usque tres septimanas superstes manet, inter quod tempus aeger evacuat urinam parcam, cutim habet siccam, appetitum alienatum, animum morosum, cephalaea frequenti angitur, tandem sudore universali comparente urina maiori quantitate cum sedimento albo cretaceo instruitur. Alvis pultaceis subsecutis appetitu revertente, somno pacato se insinuante, animo hilari evadente primus insultus terminatur.

Ast remissiones hae longae durationis esse non solent, nam non multo post ultimum paroxismum finitum, sécundus, hunc tertius, quartusque cum omnibus supra enumeratis symptomatibus excipit. Nunc eadem articulatio sedem morbi praebet, nunc alter pes, aut altera articulatio fomite morboso praegnatur. Nec desideratur ut omnia supra enumerata symptomata ad insultum unum efficiendum concurrant; horripilatio, frigoris comparitio, pulsus acceleratus, tumor ruborque articuli unam invasionem arthritidis constituunt.

Invasiones arthritidis acutae non semper eundem sequuntur typum. Nonnunquam ab exordio ambo pedes inflammatione specifica arthritica afficiuntur; in multis casibus metacarpus, cubitus, genua primitivam sedem morbi praebent, tardius pedes ipsi afficiuntur. Nunc unicus articulus, unum membrum fomite arthritico corripitur, topicaque haec affectio

ibidem usque finem insultus haeret; alias ex uno articulo in alium migrat, quin ad partem primario affectam reverteretur, dein iterum partibus vage affectis derelictis ad originis locum redit. Subinde arthritis nocturnam quietem vitans, interdiu aegrum invadit.

Quod denique invasionum frequentiam concernit, hae multo frequentiores esse poterunt, ac supra assignavimus. Haec durationis frequentia optime determinari poterit per maiorem morbi imprimis dolorum vehementiam, quo hi intensiores fuerint, eo citius finis acceleratur.

Insultus arthrticus primus frequentissime forma podagrae comparet, quo hi frequentiores fuerint eo plures organismi partes morbi participes fiunt. Insultui podagrae propriae et memorabiles praecedunt sensationes, aeger sensationem accusat, ac si quid mollis plantis pedum inhaereret, aut si pastae farinaceae molli insisteret, pedesque ipsi frigere incipiunt, fiunt insensiles, noctu spasmo surarum tentantur, venae cutaneae in vicinia malleolorum intumescunt. Primae invasiones tunc ingruere solent, dum hyems in ver transit, etiam post refrigerium vel errorem in diaeta.

Durante affectionis arthriticae unius, si excipias ultimos dies, aeger raro plenaria fruitur intermissione, nam toto hoc tempore indispositione, aegritudine difficilius describenda laborat; pulsus irritati sunt, cutis calet, appetitus prosternitur, urina sedimento instruitur, mera symtomata, quae cum invasionis fine silent. Coincidente tempore in cute articulorum affectorum fluidae, viscidae subinde odorem foetentem spargentes materiae fecernuntur. Serius epidermis partis affectae forma squammarum, prurituum intolerabilem causantium, quietem noctis fugantem separatur. Tempore hoc superato aeger cum sensu voluptatis mentis vigore et hilaritate, corporis robur renasci experitur, quin imo se vegetiorem ac antea sentit vegetatione alacriore passu procedente. Ast reverturtur hi insultus iterum, iterumque quotannis bis, vere et autumno, tardius per intervalla breviora,

donec tandem metamorphosi regrediente minore vigore procedente, et involutionis periodo comparente, organismus sensim sensimque contabescens arthritis habitualis evadat periculosum statum derelinquens. Dum aeger non omnia sollicite vitat, quae arthritidis evolutionem fovent, ciboque lauto animali, aut aliis eminenter nutrientibus non valedicit, frequentius et intensius eum morbo adfici experiemur, ita ut intervalla semper breviora habiturus sit. Tunc evolvitur arthritis chronica.

Arthritis chronica.

Arthritis irregularis, asthenica, consecutiva vel primario ex acuta neglecta vel remediis resistente progerminat, vel statim ab exordio characterem chronicum adipiscitur. Symptomata huius formae et quantitative et qualitative eadem sunt, sed per minorem intensitatem et majorem extensionem modificantur. Dolores quidem mitiores sunt, ast diu aegrum divexant. Reactionis phoenomena aut minori in gradu prorumpunt, aut penitus absunt, metastases in hac forma nihil inconsvetae sunt, dolor ex uno articulo in alium migrat, nec organis internis ad vitam absolute necessariis parcit (arthritis vaga).

Arthritis vaga aegros per plures menses, quin per integrum annum molestat, tantum sidere ardente silet. Digestio semper patitur, sive hoc fiat ex irritatione sympathica ventriculi, sive idiopathica; aegri enim febre immunes cum aliis sensuum illecebris valedicere cogantur, dapum deliciis continuo indulgent. Cur ergo miramur, quod homines motum muscularem negligentes ciborum quantitatem excessivam assumentes, organorum digestionis turbis laborent? Minime tamen putandum, in hoc languore digestionis, statum inflammatorium ventriculi subversari; cum constet in hoc morbo apparatum medicamentorum roborantium et stimulantium citra omnem noxam atrii perferri.

Dolores in arthritide chronica comuniter perstantes sint, tolerabiles tamen sunt. Intenduntur per intervalla praecipue

post captum prandium, primum somnum, in sequelam tempestatis mutatae post animi pathemata excitantia, motum violentum aut citatum artuum affectorum. Nonnunquam tamen vehementiae gradum adipiscuntur ut homines validissimi sub eorum insultu animo linquantur, fors per durationem longiorem mortem adducere possent. Animus nimiopere mutatur, fit morosus, tristis, in iram pronus, e contra nonnullorum mens ex morbo minime participat, retinent hi mentis vigorem et serenitatem.

In invasionibus arthritidis acutae artus notabiliter tumere haud observamus; idem observamus in arthritide chronica non diu adhuc excurrente, dum autem haec diutius durat tumor articulorum notabilius augetur, mobilitas artuum restringitur. (Andral) Per longam mali durationem in articulis, eorumque peripheria varias distinguimus alterationes. Subinde infiltratio serosa articulum affectum nunquam derelinquit; alias in musculis vicinis dolorificam et persistentem contracturam, alias parvas intumescentias speciem tophi referentes in exordio molles et sensiles in profunditate et superficie tendinum et ligamentorum radicem figentes, atque rosarii instar articulationem affectam ambeuntes, huius mobilitatem omni respectu restringentes adnotamus (tophi arthritici). In aliis casibus per inflammationem membranarum synovialium et proxime sitarum partium organicarum, superficies articulares certa ratione coalescunt et concrescunt, quo fit ut in similibus casibus massa fluida gelatinae analoga in circumferentia articulorum, vel in cavis ipsis ligamentorum capsularium deponatur; haec materia temporis tractu consistentior evadens aut exiguas granulationes, aut majoris minorisque consistentiae massas generando functionem liberam articuli impedientes, parit, quae cutim supraiacentem ita extenuant ut haec rupta initio fluidum serosum fundat, serius ociusvu particulae quoque phosphatis calcariae vel potius uratis natri majori quantitate evacuentur.

Diversae formarum arthritidis comparitiones.

Arthritis larvata. Hanc speciem ab antiquissimis iam cognitam recentiorum nonnulli negarunt; ast recentissimi antiquorum opinionem denuo amplectentes arthritidem larvatam assumunt. Nam in hominibus dispositione arthritica congenita affectis, ubi integra compages organica fomite illo morboso praegnata mutationes specificas, et si sensibus haud pateant, inducit; inflammationes viscerum et organorum per specificum seminium arthriticum nimiopere modificari, ita ut propria series symptomatum peculiaribus characteribus instructorum in aliis haud observatorum emergat, negari haud potest. Dispositio enim congenita affectionem quamcunque majoris gradus sub suum redigit dominium, eique proprium et specificum imprimit characterem. Nihilominus vanum erit nostrum conamen in pneumonia, hepatitide, gastritide peculiaria illa symptomata dignoscere, materiamque aut seminium arthriticum sensibus sistere aut verbis describere, sed contentari debemus, similem larvatam arthritidem statuentes, cum verosimilibus. Si individua parente arthritide affecto aut dispositione praedito progenita fuerint, si modum in esu et potu non tenuerint, vitam otiosam ducant, bacho venerique multum indulgeant, 35—40 annum aetatis attigerint, si doloribus infensis ut ut brevi tempore durantibus ab uno organo ad aliud migrantibus affligantur, qui a ventriculo ad musculos thoracis, inde ad articulationes, ab his ad cor, renes, pulmones vagantur, si crampo vel comate vigili saepius tententur, si urina sedimentum cretaceum album monstrat, vel multum uratis calcariae vel pulveres grossos deponit. Hoc respectu distinguimus nevralgiam, hemicraniam, prosopalgiam, odontalgiam, gastralgiam, enteralgiam arthriticam. Praeter dolores diversas corporis partes affligentes se — excretionesque mirum in modum perturbantur ita ut blennorrhoeae, haemorrhagiae, retentiones variae, ischuriae, stranguriae im-

petigines specifico charactere donati ab auctoribus pertractentur.

Quod de arthritide larvata valet, idem etiam de arthritide retrograda constat. Dum videlicet sub insultu arthritico inflammatio articuli vel affectio partis externae subito disparet, insultumque suspendere videatur.

Omnes medici qui arthritidem in multis casibus observandi occasionem habuerunt, commemorant peculiarem nexum arthritidis cum nephritide aut uro — lithiasi. Morgagni, huic observationi multum ponderis tribuit. Analyses chemicae quoque extra dubium ponunt praesentiam acidi urici in depositionibus arthriticis, et urina nec non praecipitatum pulverulentum arthriticorum eodem acido scatet. Haec tamen analogia secundum Andral tantum abest ut nos in admirationem rapiat; cum calculorum genesis iisdem conditionibus, ac arthritis foveatur. Intemperantia modus certus, in regimine diaetetico neglectus amborum morborum originem et evolutionem promovet. Quem nostrum latet, urolithiasim et arthritidem non eadem frequentia apud opulentiores et nobiliori de stemate natos occurrere? E contra testatur experientia arthritidem dissipari in hominibus qui fatali sorte vitam lautam cum frugali commutare coguntur. Arthritis et lithiasis ex eodem scaturiunt fonte videlicet ex abundantia materiarum plasticarum. Ambo alternatim aut eodem tempore amicas sibi porrigunt manus, ideo Sydenham, Hoffmann, Musgrave et alii nephritidem arthriticam aliquo cum fundamento statuunt. Nihilominus candide fateri debemus inter omnia organa renes affectionibus arthriticis praecipue obnoxios esse, ob velamentum videlicet fibroso — serosum, quo renes cinguntur.

Momenta aetiologica.

Pauci certo sunt morbi, de quorum sede et natura plus disceptatum fuisset, nullus certo est super quem auctores talia e diametro sibi opposita in medium protulissent. Si theo-

rias vagas, opinionesque futiles super natura arthritidis prolatas meminisse vellem, stolida nullique fundamento innixa, quorum mens humana tantum capax est, adducere oporteret. Hippocrates et Galenus praetendunt, arthritidem consistere in metastasi muci et bilis ad articulationes. Paulus ab Aegina eam derivat a debilitate in articulos conjecta, inducta per indigestionem per corruptionem ventriculi, migrationem humorum superfluorum ad articulationes, per quos ligamenta mechanice extendi, doloresque causari putat. Ferneli et Baillou per mucum et bilem arthritidem generari praeplacet. Hoffmann naturam eius dilucidare conatur ex spasmo vehementi, per quem ligamenta membris affectis correspondentia dislacerentur. Sydenham eam oriri putat ex deficiente coctione omnium humorum. De Opinionum harum falsitate facile convincimur, theoriaque recentiorum ratione et experientia magis fulcita praeplacet, statuens: arthritidem ex duobus elementis coalescere, ex processu videlicet inflammationis in intrinsecis texturae fibrosae ligamentorum et tendinum locum habente, et ex mutatione, crasique sanguinis alienata, in quo acidum uricum praevalens in ambitu articulorum deponitur.

Ut momenta aetiologica luculentius enodemus, dispositionis et influxuum nocivorum rationem justam habere oportet. Dispositio congenita et adquisita esse potest. Frequentius arthritidem haereditate propagari observamus a parente ad natos. Semininum hoc non statim post nativitatem se manifestat, sed latitat in organismo eo usque, donec organismus certam attigerit aetatem, testante experientia haec 35—40 annus esse solet, ubi incrementum corporis absolutum est; aetati juniori in genere parcit, utut adnotante Scudamore e 100 aegris unus infra 14 annum aetatis arthritide afficiebatur. Viri in arthritidem regularem majorem habent opportunitatem, ac foeminae, quae frequentius arthritide anomala vaga nervosa ingruentibus annis clymactericis divexantur, cuius causa fors ea est, quod sexus sequior visam ma-

gis sobriam ducat, excessibus variis rarius indulgeat. Docente Sydenham homines robusti torosi pectore amplo instructi specialem in arthritidem fovent dispositionem, licet nec macilentum fugiat. Morbum vim contagiosam exerere, testatur Berend, nam famuli, qui tibialia herorum suorum podagra demortuorum induebant, morbo hoc corripiebantur, quin imo vim hanc contagiosam animalibus comunicari posse nonnulli praetendunt; caniculi, qui ob dolorum mitigationem pedibus aegrotantium apponuntur, arthritici evaserunt. — Opportunitas in arthritidem etiam adquiri potest, partim per repetitam morbi invasionem, partim per influxus noxios diutius agentes. Per exceptionem tantum individua juniora arthritide corripiuntur et quod Scudamore e centum aegris unum infra decimum quartum aetatis annum arthritide affici observaverit, probabilius rheumatismus chronicus erat.

Magna obscuritas regnat quoque inter causas excitantes arthritidis. Huc numeramus: aërem humidum, boream et aquilonem. mutationem repentinam temperaturae, frigus humidum, commorationem in profundis vallibus, aliisque locis si frigidi et humidi fuerint, amictum levem, suppressam transpirationem cutaneam, incautam adplicationem pediluviorum et manuluviorum frigidorum, sorditiem, exanthematum repercussionem, haemorrhagiarum habitualium suppressionem, intermissionem evacuationum consvetarum, incautam et praematuram consanationem cauterii aut ulcerum inveteratorum habitualium, contusionem vel casum ad articulum praedispositum, victum animalem lautum aromaticum, usum pinguium et oleosorum ciborum, quotidianum usum sic dicti ragouts, apri, ferinae, casei fermentantis: virorum imprimis juniorum acidorum (juxta Weikard qua specifica causa assignatur); otiosam vitam, imprimis si haec antea activa fuerat; violentum et inconsuetum motum, abusum veneris, onaniam, intensionem mentis majorem, animi affectus vehementes, sessionem protractam, vigilias nocturnas, occupationem mentis statim post captum prandium.

Memorabile tamen factum manet id, quod arthritis in nosocomiis raro observetur. Per hoc facilè concludere licet, morbum hunc in classe pauperum rariorem esse, itaque causam frequentissimam victus lautus, vegetatio luxurians, constituit, per quem fit ut colatoria omnia quidem intendantur, non tamen valent materiam organismi male adsimilatam ex limitibus organismi eliminare, ideo haec in articulationibus forma tophorum aut acidi urici, aut forma variarum materiarum organicarum (concretionum) deponitur. Sic explicamus, cur de regula homines faustioribus sub circumstantiis viventes, cibis animalibus, aliisque laute nutrientibus adsueti arthritide frequentius adficiantur.

Inflammatio quae articulorum arthritidem concomitatur plerumque characteris asthenici est, habitu externo a rheumatica non multum abludere videtur, ast differt specialibus characteribus affectio arthritidis topica et universalis ab ea rheumatismi. — Inflammatio arthritica nunquam eum gradum rheumatismi consequitur, nunquam in gangraenam, raro in suppurationem, rarissime in oedematosas vel hydropicas affectiones partium aegrotarum transit. Conveniunt ambae affectiones in eo, quod rigiditates artuum relinquant, organisationis alienationes inducant; nihilominus in rheumatica affectione, plastica coagulabilis cohaerens materia; in arthritica vero consistentior (phosphas, vel uras calcariae) in articulis deponitur. Rheumatismus nunquam generat specificum illum tophum arthriticum, nec in peculiari nexu constituitur cum calculis urinalibus, aut cremore dentium, qui pluribus ante invasionem arthritidis regularis mensibus in conspectum venit, quin imo si mucum qui sub similibus circumstantiis totum cavum oris et faucium obducit ad siccitatem evaporatum examini chemico subjiciamus, terram animalem supra descriptam in eo praevalere experiemur.

Characteres distinctivi universales arthritidem et rheumatismum discriminantes sunt sequentes. Arthritis morbus rarior ad sui evolutionem dispositionem exposcit; rheumatis-

mus morbus frequentior absque dispositione post influxum noxium oritur. Ille prodromis in annum excurrentibus, functionem organorum digestionis et chylificationis labefactatam indicantibus annunciatur; hic hominem optima sanitate gaudentem admisso refrigerio subito adoritur. Ille seminio saepe contagioso praeditus haereditate propagari potest, quod in rheumatismo desideratur. Arthritis certam praediligit aetatem et constitutionem; rheumatismus nulli aetati et constitutioni parcit. Rheumatismus in prima origine supprimi et radicaliter curari potest; arthritis ad certum gradum evoluta arti omni saepe rebellis est, symptomatibus aliquo tempore silentibus nova cum intensitate caput extollit.

Dolores osteoscopos syphiliticos distinguimus ab arthriticis, quod in prioribus affectiones syphiliticae topicae praecesserint, ulcera bubones, efflorescentiae cutaneae: maculae, papulae, pustulae, squammae, isthimitis, in suppurationem superficiem lacdaceam exhibentem desinens, cui iunguntur dolores ab arthriticis iam ex eo diversi, quod rarius articulos ipsos, sed freqentius medium, corpus ossium impetant, interdiu sieleant, vesperi recurrant, versus diluculum evanescant.

Dolores ossium qui scorbutum comitantur, characteristica quoque habent phoenomena, quibus ab arthriticis facile discriminantur. Scorbutum praecedunt debilitas et languor muscularis, comitantur gingivae laxae tumidae spongiosae ad pressionem sanguinem atrum resolutum fundentes, anima foetens, maculae lividae, ecchymomata, petechiae, haemorrhagiae ex diversis corporis partibus, habitusque aegri peculialiter cachecticus, quae in arthritide desiderantur.

Ex supra dilucidatis resultat, arthritidem esse morbum dynamicum; concrementa ossium in articulis deposita potius pro effectu, quam causa morbi haberi debent. Nam quomodo morbus hic haereditate propagari possit? Ubi detineretur materia peregrina in organismo se — excretionibusque continuo vigentibus usque dum organismus plenam maturitatem adeptus sit? Quomodo arthritis (in rarioribus casibus) Be-

rend (:) contagione propagari posset? Itaque cum Stahl morbum hunc inniti peculiari secretioni anomalae, conditionatae per motum *tonico vitalem* in minimis arteriis, adfirmo. — Inter recentiores, qui aliquam lucem supra theoriam arthritidis spargebant, *Cullen* erat. Hunc morbum sequenti dilucidare conatur modo. Dum in individuo ceteroquin plethorico robusto aetate provectiore energia vitalis in vasis capillaribus et generatim in extremis limitibus corporis decrescere et imminui incipit, tunc propter connexionem et continuum antagonismum inter systema nervosum et arteriosum vigentem, oriri reactionem cerebri, reliquique systematis nervosi, hanc vero in extremis corporis limitibus inflammatoriam et dolorificam affectionem producere, affirmat. Inflammatorius hic status ad exaequationem supra memoratae disproportionis seu aequilibrii sublati inservit, neque prius remittit, usque dum similis exaequatio reipsa contigerit, nempe, non tantum usque dum aequilibrium inter systema nervosum et arteriosum sublatum ad leges normae revocatum fuerit, verum etiam usque dum in partibus affectis energia vitalis ad priorem vitalitatis gradum revocata fuerit. Praesente igitur in organismo aegrotante sufficiente gradu energiae vitalis ad superandum processum hunc exaequationis, morbus, qua arthritis tonica regularis acuta caput extollit; defficiente autem sufficiente quantitate virium, tunc arthritis chronica evadet, compens iam forma dysarthritidis, iam anomalae, vagae.

Prognosis.

Nec auctocratiae naturae in emolumentum aegrorum saepe activae, nec therapiae experientiae et rationi fulcitae morbum hunc eradicasse semper successit. Nonnulli arthritici vitae deliciis sat longo tempore impune fruuntur, insultum arthritidis regularis initio semel per annum experiuntur, quo superato vitam hilarem et activam ducunt, quin imo cum hac invasione senectutem provectam attingere possunt. Ast

non omnibus haec contingit sors, morbus semel iterumque aegrum invadens, evadit hospes frequens, tunc per dolores saepius revertentes aeger enervatur, functiones sensim sensimque magis fiunt abnormes, donec status peculiaris cacheticus febri hectica, hydrope vires organismi colliquescente terminandus inducitur. Dum articuli intumescunt in ligamentis, tendinibus, periosteo efformantur maiores minoresque, ossis duritiem saepe attingentes, tophi vel nodi arthritici (phosphate calcis, urate natri constantes) qui forma crystallorum in cutem, musculos, vasa, viscera, pulmones, cor, encephalon, membranas tubi intestinalis, organa sensuum depositi, functionum alienationem vario gradu et modo inducunt; sicque cataractae, glaucomatis, amaurosis, cophosis, dyspepsiae, asthmatis, anginae pectoris, algematum, paralysis, labefactationis facultatum psychicarum, melancholiae, fatuitatis ansa datur. Dum synovia in bursis mucosis, et ligamentis capsularibus contenta consistentia augetur, partes antea mobilitate praeditae concrescunt, anchylosis vera oritur. Dum ossa sedem arthritidis praebentia inflammatione corripiuntur, haec cariosa evadunt, ulcerumque arthriticorum evolutio fovetur. Maxima incutit pericula dum arthritis partes externas subito derelinquens ad organa interna migrat, in simili casu inflammationes periculosissimas generando: menyngitidem, bronchitidem, carditidem, gastritidem, enteritidem, vomitu pertinaci, diarrhoea rebelli, choleraque stipatum, vitam discrimini exponit.

T h e r a p i a.

Ubi prodroma arthritidis (molimina ad arthritidem adsunt, ante omnia scrutandum, an possibile sit, dispositionem ad arthritidem tollere, nec ne. Hoc nonnunquam, ubi dispositio adquisita tantum est, succedit. Vitae itaque regimen diaeteticum in exordio debite coordinatum proficuum erit, morbique insultum si non frangit, adminus mitigat. Sic

sanantur homines optima aetate constituti antea vitam luxuriosam ducentes, si fatali sorte ad vitam simplicem frugalem condemnantur. Non idem succedit ubi dispositio ad arthritidem congenita, seminium morbosum generatione propagatum fuerat, hic in plerisque casibus vanum erit nostrum conamen id ex organismo penitus eradicare velle. Tentationes cum diaeta strictiore atque methodo debilitante susceptae non tantum malo coronabantur successu, sed mortem praematuram adduxere. Magis studendum erit, ut iusto statuto tempore regulares compareant invasiones, decursusque ipse regularis evadat. His observatis aegri intervallis liberis relative meliori fruuntur valetudine, aetatemque provectiorem attingere possunt.

In arthritide evoluta vera regulari, therapia tantum individualitati adaptari debet, nam gradus reactionis in diversis individuis variant, ideo methodus universalis non datur. Insultus arthriticus admonente Sydenham est similis paroxismo febrili, autocratia naturae scopo exaequationem functionum moliendi inductus. Curam itaque nostram eo dirigere oportebit, ut energia vitae in debita constituatur activitate; causae itaque debilitare, aut excretiones cunctas restringere valentes arcendae sunt; commendanda aegro quies animi et corporis, temperatura aegrum ambiens sit moderate calida, cibus sit blandissimus, minimum stimulans. Sydenham iusculum ex avena concedit, interim et ius tenue e carnibus teneris macris, hordeo excorticato, oryza aegri perferunt; carnes, cibum durum pinguem aromate conditum durante insultu disuademus. Pro potu exhibemus aquam, aut decoctum emolliens altheae, malvae, seminum hordei, emulsionem amygdalarum tenuem. Non minorem convertimus attentionem in excretiones habituales omnes; alvum constipam eccoproticis lenibus reseramus; functionem cutis restrictam expedimus infuso florum tiliae, sambuci. Articulum successive dolentem involvimus linteo molli sicco moderate calido, fumo sachari, baccarum iuniperi, vel gummi — resinarum: ben-

zoes, storacis, elemi, succini impraegnato. Sensibilioribus appponimus pellem leporinam, cygni, vel quod dolorum insultum saepe optime frangit, caniculos abdomine magis quam reliquum corpus calente parti dolenti apponimus.

Morbus gravior hisce nequaquam contentatur. Ob constitutionem aegri robustam, influxumque potentiarum nocentium provocatur febris intensa non tantum inflammationibus articulorum specificis, sed etiam carditide, gastroenteritide, menyngitide iuncta, tunc methodus antiphlogistica strictissima morbi vehementiam frangit, ideo Gilibert in omni insultu arthritico venaesectionem comendat, Broussais vero numerosas hirudinum adplicationes. Cum remedio tamen hoc heroico caute mercandum esse iam Sydenham monuit; et observationes recentiarum comprobant post sanguinis evacuationes saepe arthritidem retrogradam evolutam fuisse.

Si per remedia hic adducta magis diaetetica hypersthenicus status fractus fuerit, ad crisim plenariam inviandam leniter excitantia remedia proficua erunt. Hunc in finem sudore nocturno non comparente, doloribus sat intensis adhuc praesentibus, infusum valerianae tenue, chamomillae, foliorum aurantiorum, melissae, cum spiritu Mindereri, spiritu nitri dulci, liquor anti — arthriticus Elleri (constat, spiritu cornu Cervi succinato, aethere sulfurico, tinctura valerianae, Castorei, dolorum vehementiam optime sopit. Alias dolor vehemens his non cedit, tunc salutis anchoram in narcoticis quaerimus: in hyosciamo, cicuta, belladonna, et opio a Sydenham nimio laudato. Maiore debilitatis gradu praesente utiliter adhibetur camphora, praeparata ammoniae, spiritus cornu cervi simplex aut succinatus. Ad diaphoresim intendendam Quarin ab floribus sulfuris cum infuso florum sambuci egregium expertus est effectum. Alias decoctum rasurae ligni Quaiaci, vel gummi-resina vel tinctura Quaiaci proficua erat. — Ofterdinger docet, arthritidem esse febrem intermittentem larvatam vel comitatam, ideo corticem peruvianum ad sidera extollit. In Gallia, Anglia, et Germania

laudatur arcanum sub nomine: *Eau médicale de Husson*, cuius guttae 20—30 vesperi ante decubitum captae vomitum, diarrhoeam frequenter, in plurimis tamen casibus sudorem largum provocant. Medici Angli opinantur, remedium hoc compositum esse e vino hyspanico, tinctura opii simplici, tinctura Hellebori, et seminum colchici autumnalis. — Praeter calorem externum admonente Sydenham alia remedia externa necessaria vix sunt. Pradier tamen laudat cataplasma anti — arthriticum, quod tamen tantum famam ephemeram habuit.

Invasione arthritidis superata cura absoluta nondum est, notum enim est, statum organismi universalem per debilitatem organorum digestionis et chylificationis eminenter foveri, ideo remedia amaro — stomachica in curanda arthritide magnam celebritatem sibi meruerunt; uti sunt: herba centaurii minoris, trifolii fibrini, gentianae, lignum Quassiae, radix acori, gummi amoniacum, Quajacum, praeparata ferri. In Anglia laudatur pulvis Ducis Portlandi, compositus e pulvere radicis aristolochiae rotundae, gentianae, herbae summitatum chamaedreos, chamae pitys, et centaurii minoris ana quantitate, atque Cullen usu protracto huius pulveris plures arthritide inveterata affectos, sanatos fuisse perhibet, ast non reticendum, subinde in individuis plethoricis apoplexiam causatam fuisse.

Habito respectu excretionum omnium, imprimis alvi, urinae, cutis etc. alterantia eximium saepe praestant effectum. In Germania adhibentur pillulae ex oleo empyreumatico ligni fossilis, antimonio crudo $\overline{\text{aa}}$ uncia una, olibano drachmis tribus, pulvere stipitum dulcamarae drachmis sex, e quibus parantur pillulae granorum duorum. Usu harum protracto arthritidem curatam fuisse plures auctores testantur.

In cura arthritidis thermae naturales magnam saepe praestant utilitatem, tales sunt: Thermae sulfureae, salinae, alcalinae, salino — alcalinae et martiales.

Sed et affectionum topicarum summa ratio habenda est, articulationes superato insultu motu frequentiori non tamen protracto in motu exercendae sunt, per hunc concretiones, aliorumque malorum topicorum evolutio optime praecavetur. Scopo adjuvante frictiones cum panno aspero Flanel, lotioque crebrior cum aquis sulfureo — martiatis eximiam utilitatem praestant.

Plurimi auctores usum remediorum specificorum contra arthritidem iuste negant. Huic classi adnumerarunt, Rhododendron chrysanthemum gummi resina Quajaci Ilex aquifolium, qua remedium roboranti adstringens nihil specifici habet. — Aquis thermarum Carolinarum peculiari et specifica ratione arthritidem sanatam fuisse, et per congruum usum internum insultus arthriticos anomalos, regulares fieri auctores fide dignissimi testantur.

Nonnulla remedia a recentioribus ventilata commemorationem vix merentur. E. c. pediluvia Anglorum cum acido muriatico; potus largus aquae calidae a Cadet de Vaux commendatus. Chalmers omnia symptomata a saburra intestinali repetens, laudat emetica et purgantia. Musgrave putat acrimoniam arthriticam ex atra bile generatam in massam humorum receptam febrim arthriticam generari, ideo drasticis, aloë, helleboro, colocynthidi specificam tribuit virtutem. Alii ob conjunctionem frequentem arthritidis cum calculis, eam alcalibus, sapone, aqua calcis inpugnare conantur, quantum haec organis digestionis utique per morbum debilitatis infensa sint, quisquis primo obtutu perspicit.

Peculiarem attentionem exposcit arthritis retrograda, anomala, larvata; dum inflammatione arthritica e partibus externis subito evanescente, alter morbus acutus: inflammatio gravis, nervosis periculosissima, vel alter morbus chronicus primaria affectione gravior evolvitur. In simili casu cum evacuationibus sanguinis caute mercandum, sed in plurimis casibus methodus moderate erigens faustiori coronatur successu, uti: vinum, infusum foliorum aurantiorum, herbae

melissae menthae, aut fortiora: liquores aetherei, spiritus cornu cervi. In similibus rerum adjunctis Sydenham in se ipso eximium expertus est effectum a vino Madeirae cum opio. Vomitum effroenem infuso florum chamomillae, herbae menthae piperitae sopire studemus; vomitu cum diarrhoea continuante ad tincturam opii crocatam confugimus. Partes ex quibus affectio topica disparuit irritandae sunt per localia balnea calida per cochleariam armoraciam, pediluvia cum sale et cineribus, synapismum, frictiones cum tinctura cantharidum, in malo chronico per unguentum Autenrithii, moxam, fonticulum, ulcera artificialia. Si per remedia enumerata insultus regularis provocatus fuerit, pulsus elevari, calor animalis augeri, cutis amoene madere incipiat, statum hunc per remedia supra enumerata insultui arthritico regulari conformia, et per victum moderate stimulantem fovere et sustentare oportet.

Modificationes variae arthritidis anomalae congrue tractantur per continuatum usum internum extracti aconiti, quajaci, contribuentibus simul remediis externis, uti balneis aestivo tempore nimis proficuis. Magnam laudem sibi meruerunt, sapo comunis, sapo antimonialis, quajacum, mercurius dulcis, Senega, extractum arnicae cum extracto amaro in massam pillularem redacta.

Dum insultus frequentius revertuntur, vix non semper tophos relinquunt. In exordio ubi minorem extensionem adepti sunt, resolvi possunt per frictiones pharmacorum volatiliter stimulantium, cum linimento ammoniato, oleo terebinthinae, rosmarini, oleo animalis Dippelii, linimento saponato — camphorato. Si tophi hi iam inveterati essent, aut individuum senile, remediis his tantum abest ut resolutionem effectuemus, sed inflammationem latitantem ad plenam maturationem perducentes facile ulcus arthriticum difficilius consanandum emergit. Similium ulcerum proruptionem nec arte praecavere semper succedit.

Contra majorem gradum rigiditatis et immobilitatis artuum, balnea naturalia calida (Töplitzii) plurimum praestare experientia docuit.

Cum constet, arthritidem cum calculorum genesi saepius coincidere, momenta cuncta, quae formationi huius materiei ansam dare possent, tamquam remedium prophilacticum et radicale ad praecavendam arthritidis evolutionem considerari debent. Cibus itaque vegetabilis, substantiae azotum tenentes acidi urici formationem eximie promoventes, sedulo vitandae sunt. Experientia docet, fontes ad Vichy, eggregiam ad arcendum hunc statum morbosum praestare virtutem.

Theses defendendae.

1. Arthritis non est morbus pure dynamicus, sed etiam organicus.
2. Summa status alicuius felicitas consistit in tranquillitate interna et externa; hanc politia civilis, illam politia medica procurare potest.
3. Hinc sicut statui bene organisato incumbit tranquillitatem externam procurandi, politiam medicam attinet, tranquillitatem internam conservandi.
4. Medicastri igitur, agyrtae artem medicam profanantes tollerandi haud essent.
5. Qui bene purgat, bene curat.
6. Medicum multa scire, plurima audire, pauca loqui oportet.
7. Si morbum curare nequis, cura symptomata.
8. Scientiae media a tempore Hippocratis ingentes fecit progressus; an in arte pari passu processerit, sub judice lis est,
9. Ipse morbus saepe remedium morbi.
10. Nil agendo dum agis, cave ne nihil videaris.
11. Persaepe absque diagnosi morbus sanatur.